



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XI. An Moniali præter tres epidemiæ, lepræ, & incendij causas expressas
concedi possit egressus è clausura propter alias causas similes, vel
vrgentiores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

sterium retentione, concedunt exitum: ergo non de sola peste, sed de omni alio morbo contagioso, licet non pestifero, loquuntur; & merito, quia alioquin iura non satis recte Monialium clausuræ prospicerent; quandoquidem si Moniali laboranti morbo contagioso, licet non pestifero, exitum non concederent, oporteret, vel mulieres sæculares in clausuram intramittere, ut Moniales infirmas curarent, vel plures Moniales morbi contagione laborantes de clausura emitti, ut medicinis adhibitis, reconualescerent.

2 Confirmatur, quia ad epidemiam adiungitur lepra, quæ nihil pestis, sed solum infectionis aliarum periculum habet.

Confirmatur secundò, quia non est, cur hic nomen genericum epidemix restringatur solum ad specificum, ut scilicet solum significet morbum contagiosum pestiferum, seu veram, & propriè dictam pestem; cum id cederet in correctionem cap. periculoso, (quod tamen innouant, & in omnibus, & per omnia confirmant Tridentinum sess. 25. cap. 5. de Regular. & Motus Pij V. Circa Pastoralis) siquidem cum in dicto cap. periculoso, dicatur: Nisi forte tanto, & tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non possit cum aliis absque gravi periculo, vel scandalo commorari; sequitur, quod ibi concedatur egressus ob quemcumque morbum non permittentem absque gravi periculo, Moniales alias cum infirma commorari (qualis non est solum morbus contagiosus pestiferus, seu vera, & propriè dicta pestis.) Quapropter si Motus Pij V. nomine epidemix solum veram pestem, exclusis aliis morbis contagiosis (præter lepram, quam ibi quoque excipit) intellexeret, restringeret, atque adeo corrigeret textum capituli periculoso, quod dicendum non est, ut patet ex dictis; ponenda tamen esset in praxi sententia opposita, si constaret authenticè de quadam Sacre Congregationis declaratione in contrarium, quam refert Diana resol. 23.

DUBITATIO XI.

An Moniali præter tres, epidemix, lepræ, & incendij causas expressas concedi possit egressus de clausura propter alias causas similes, vel vrgentiores?

SUMMARIVM.

- 1 Cessantibus causis expressis in motu Pij V. non potest Monialibus concedi licentia egrediendi de clausura.
- 2 Casus exceptus tunc extenditur ad similes, quando lex excipiens non vitur dictione aliqua taxatiua.
- 3 Negatio, cum sit malignantis naturæ, quidquid post se inuenit, destruit, eiusque oppositum ponit.
- 4 Bulla Gregoriana de immunitate non extenditur ad casus similes, seu grauiore.
- 5 Causa exheredationis filiorum non possunt extendi ad alias similes, seu grauiore.
- 6 Capitulum finale de reuocandis donationibus non habet locum nisi in expressis.
- 7 Casus exceptus extenditur ad similes in materia fauorabili, non item in materia odiosa.
- 8 Clausura introducta est ad spirituale monialium salutem, perfectamque votorum Regularium obseruantiam.
- 9 Sacra Cardinalium Congregatio fertur declarasse tres

epidemia, lepra, & incendij causas non extendi ad similes, nec vrgentiores.

10 Causæ tres prædictæ, quod sint extendibiles ad similes, & vrgentiores, est satis probabilis sententia Doctorum.

11 Dicitio taxatiua ad mentem nonnullorum Doctorum non excludit probabiliter casus similes, in quibus eadem, vel vrgentior ratio militat.

12 Minorum prædia ob solum es alienum vigore legis distrahi possunt, & non obstante particula taxatiua, ampliatur ex glossa etiam ad casus similes.

13 Filij possunt exheredari ob causas non expressas etiam in Auth. ut cum, de appellat. cognosc. §. aliud quoque, si ea sint similes, seu vrgentiores.

14 Textus in l. finali, C. de reuocandis donationibus, extenditur etiam ad causas non expressas, si sint æquæ graues, vel grauiore.

15 Promotis ad duos minores ordines, Lectoris, & Cantoris, ex dispositione legis tantum liberum est uxorem ducere, at ex interpretatione extenditur etiam in alios duos ordines minores.

16 Bulla Clementis Octauis de largitione munerum extenditur ad casus ibi non exceptos, modò sint similes exceptis, seu grauiore.

17 Lex quantumcumque odiosa, & pœnalis extensionem admittit ad casus similes, si aliquin lex illa redeat elusoria, vel si talis extensio cederet in fauorem animarum, Ecclesiæ, & similibus.

18 Licentia egrediendi de clausura, etiam in causis similibus recensitis.

19 Casus similis videtur bellum præsertim cum Infidelibus, cum timeri possit detrimentum Monialium, nisi in locum tutum se recipiant.

20 Item videtur imminens torrentis, vel fluminis impetus, aut monasterij ruina.

21 Item translatio Monasterij ad alium locum de Episcopi consensu.

22 Monialium translatio Apostolica Sede inconsulta fieri non potest.

23 Abbatissa potest egredi ad recipiendum iuramentum fidelitatis a Domino temporali in aliquo casu omnino necessario.

Respondetur negatiuè, quia Motus Pij V. decernit, nulla alia occasione, & prætextu, præterquam illius triplicis infirmitatis, exitum licere: ergo apertè quancumque ad alios casus extensionem excludit: consequentia probatur, quia tunc solum casus exceptus extenditur ad similes, quando lex excipiens non vitur dictione aliqua taxatiua: at in casu nostro cit. Motus Pij V. vitur dictione taxatiua rigidiore, dicens: Nulla alia ratione; & negatio, cum sit malignantis naturæ, quidquid post se inuenit, destruit, eiusque oppositum ponit: ergo, &c.

Confirmatur primò, quia (sicut dicebam cap. 6. dubitar. 8. & dubitar. 24. section. 3.) ideo casus in Bulla Gregorij XIV. de reis immunitate Ecclesiæ non gaudentibus excepti, extendi non possunt ad casus similes, quin neque ad grauiore.

Confirmatur secundò, quia cum in Auth. ut cum, de appellat. cognosc. enumerentur filiorum, exheredationis causæ, & subiungatur ibi, ex nullis aliis causis illos exheredari licere, non licet causas exheredationis filiorum extendi ad alias similes, quin neque ad vrgentiores: Vigilius §. igitur, num. 6. Insti. de inoffic. testament. Gregor. Lopez l. Regia 8. tit. 7. part. 6. Molin. tom. 1. de insti. disput. 176. col. 17. vers. certè mihi, & Eman. Suarez addit. ad Gomez, tit. 1. var. cap. 11. litera O.

Confirmatur tertio, quia cum in cap. fin. de reuocandis donationibus decidatur, ex solis causis ibi enumeratis:

meratis posse donationem reuocari, non potest illa reuocari ex aliis causis similibus. Mol. tom. 2. de inst. disp. 281. Rebell. de inst. part. 2. lib. 18. tract. de promiss. & donat. q. 9. n. 8. & alij.

- 7 Confirmatur quartò, quia ex Bart. in l. si constanter, quest. 9. num. 44. ff. solu. matrimon. & aliis, quos citat, & sequitur Villagut. de extensione legum quest. 6. tit. de extensione legum taxatuarum, num. 1. casus exceptus extenditur ad similes in materia fauorabili, non item in materia odiosa: at sic est in casu nostro, cum clausura sit ad spirituales Monialium salutem, perfectamque Doctorum regularium obseruantiam valde necessaria.
- 9 Atque ita, quod scilicet in casu nostro tres epidemiae, lepra, & incendij causa non extendantur ad similes, nec ad vrgentiores causas, fertur saepius declarasse Sacram Cardinalium Congregationem, & tradunt Zerola in praxi Episcop. 1. part. vers. Moniales, ad 16. quest. dub. 2. & part. 2. verb. Moniales, in fin. Additionat. ad Nauarrum lib. 3. consil. 72. in fin. de Regular. Gutierrez q. canon. quest. 14. Miranda de Monialib. quest. 3. art. 4. conclus. 1. & Riccius in praxi decif. 545.
- 10 Quamvis (vt fatear) ex satis probabili sententia Doctorum affirmant Suarez de Reg. lib. 1. cap. 9. n. 3. & segg. Nauar. comment. 4. de Regular. num. 48. Gutierrez lib. 1. cap. 14. num. 9. Rodriguez tom. 1. quest. 49. art. 3. & 5. Llamas in Append. §. 11. Layman. cit. capite 21. num. 1. Barbosa de offic. & potest. Episcop. allegat. 102. num. 22. Lezana tom. 5. cap. 25. num. 20. Scortia theor. 227. Tamburin. de iure Abbat. disput. 20. quest. 2. Cened. Collectan. 31. ad Sextum Decretal. num. 2. Azor. tom. 1. lib. 13. cap. 8. quest. 1. ad fin. Sorbus in annotat. ad Compendium Mendicantium, vers. Ingressus Monasteriorum Monialium, num. 6. Bonacina de clausura, quest. 1. punct. 9. num. 8. Ceruantes l. 6. Tauri, num. 59. quia dictio taxatiua probabiliter ad mentem aliorum Doctorum non excludit casus similes, in quibus eadem, vel vrgentior ratio militat, vt colligitur ex textu, iuncta gloss. in l. ob es alienum, num. 11. Cod. de praedijs, & alijs rebus Minor. vbi deciditur, ob solum as alienum posse praedia Minorum distrahi; & tamen gloss. ibi: Vers. alienum, communiter recepta tradit, id fieri quoque posse ob similes alias causas. Item secundò ex Authent. vt cum, de appellat. cognosc. §. aliud quoque, vbi deciditur, ob solas causas ibi expressas posse filium exheredari, & tamen multi Doctores (quos citat, & sequitur Couar. cap. Raynuius, n. 16. de testament. Gomez tom. 1. variar. cap. 11. num. 12. Iulius Clarus lib. 4. recept. sentent. §. testamentum, q. 41. Molin. lib. 1. de primog. cap. 9. num. 33. & 34. & Nauar. Comment. 4. num. 48. de Regularib.) aiunt, posse etiam exheredari ob causas similes, vel vrgentiores. Item tertio ex l. fin. Cod. de reuocandis donat. vbi decernitur, ob solas causas ibi dictas posse reuocari donationem; & tamen multi Doctores (quos citat, & sequitur Molin. cit. cap. 9. num. 32. Gomez. loco citat. cap. 4. num. 14. Clar. cit. lib. 4. §. donatio, quest. 1. Less. de inst. & iure lib. 2. cap. 18. dubit. 14. num. 104. & Syluester verb. donatio 1. quest. 13. num. 17.) docent, id fieri etiam posse ob alias aequè graues, vel grauiore. Item quartò ex Canon. 27. Apostol. & Nouella Iustitiani collat. 4. sub tit. de nuptijs, §. sed etsi quis, vbi dicitur, solis clericis promotis ad Ordines minores Lectoris, & Cantoris integrum esse vxorem ducere; & tamen certum est, esse integrum alijs promotis ad alios duos Ordines minores, eo quod in his eadem sit prorsus ratio. Item quintò ex Bulla Clementis VIII. quae incipit: Religiosa Congregationis, vbi prohibetur Religiosis munera dare, praeterquam in casibus ibi exceptis; & tamen multi Thom. Delbene de Immunit. Eccl. Pars II.

Doctores (quos sequitur Sousa de largitione munerum Religiosis interdicta, num. 38.) docent, id etiam posse fieri in alijs similibus casibus, in quibus sit eadem, vel vrgentior ratio: ergo si in his casibus adeo odiosis, & poenalibus, ex probabili sententia aliquorum admittitur extensio ad alios casus similes, multò magis ex probabili admittitur in casu nostro; cum licet clausuram (vipotè valde necessariam ad spirituales Monialium salutem, perfectamque votorum regularium obseruantiam) relaxare sit odiosum, non sit tamen odiosum, illam relaxare in casibus exceptis, & similibus (vbi bonum aliarum commune periclitatur) cum alioquin inde maius detrimentum possit clausuram pati, sicuti dubitatione praecedenti dicebatur. Atque ex his responderi posset ad fundamenta, quae pro nostra sententia prior adducebam: vide quae dicebantur citat. cap. 16. dubitar. 37. num. 10. & segg. vbi probabam, quod lex, quantumcunque odiosa, & poenalis, extensionem admittat ad casus similes: si alioquin lex illa redderetur elusoria, vel si talis extensio cederet in fauorem animarum, vel si cederet in fauorem Ecclesiae, vel si tandem essemus in materia licet secundariò odiosa, fauorabili tamen primariò, quia finis primarius, non secundarius attendi debet.

Vide etiam Sacrae Congregationis declarationem apud Barbosam in Collectan. Bullar. verb. Monialium clausura circa egressum, n. 4. ad Nuntium Hispaniarum anno 1594. directam, quae licet expressè sic habeat: Monialibus licentiam concedere exeundi a clausura non licet Ordinariis in alijs, quantumvis grauib. casibus in Constitutione Pij V. non contentis, nisi in casu lepra, magni incendij, & epidemiae; nomine autem epidemiae quicumque morbus popularis contagiosus intelligitur: hac tamen declaratione non obstant, Ioan. Maria Nouarius in Lucerna Regular. verb. Clausura, num. 10. & segg. assert quendam allegationem Urbano VIII. directam, quae probat in causis similibus posse Monialibus licentiam egressus à Monasterij clausura concedi: casus autem similes, in quibus eis dicta licentia concedi potest, sunt. Primus, si sit bellum, praesertim cum infidelibus, & timeri possit detrimentum Monialium, nisi in locum tutum se recipiant. Nauar. Comment. 4. num. 48. de Regular. Azor. lib. 13. cap. 8. quest. 1. Lezana tom. 1. cap. 25. num. 20. Barbosa de offic. & potest. Episcop. allegat. 102. num. 22. & ego dicam infra dubitar. 13. Secundus, si imminet magni torrentis, vel fluminis impetus, aut Monasterij ruina. Barboſa loco supra citat. Scortia in select. Constit. Pontific. theorem. 228. & Tamburin. de iure Abbatiss. disputat. 20. quest. 2. numero tertio. Tertius, si transferatur Monasterium in alium locum de Episcopi consensu, praesertim ex causa rationabili, sicuti colligitur ex Tridentino sess. 25. cap. 5. ad finem, & docent Rodriguez tom. 1. quest. 49. art. 5. Sorbus verb. Clausura, casu 6. Miranda de Monialibus quest. 3. art. 2. Barbosa de offic. & potest. Episcop. 3. part. allegat. 102. num. 27. & Bonacina de clausura, quest. 1. punct. 9. num. 8. quamvis quoad hoc extet apud Barbosam loco supra cit. verb. Monialium translatio 8. declaratio quaedam Sacrae Congregationis in vna Barcinonensi anno 1615. talis tenoris: Monialium translatio Apostolica Sede inconsulta fieri non potest. Item altera apud eundem Barbosam vbi supra in vna Vlyssipponensi, anno 1615. in his verbis: Moniales transferri non possunt in Monasteria nouiter erecta, nisi eadem Monasteria auctoritate Apostolica extracta fuisse prius consulerit, ipsaque praenit. citatione earundem Monialium capacia, eisque accommodata, atque ita absoluta reperta fuerint, vt camentariis, alijsque fabris nulla adificationis causa in ipsa

23 *postea ingrediendi necessitas relinquatur. Vide etiam quae dicuntur dubit. 14. & 19. Quartus est, si Abbatisa egrediatur ad recipiendum iuramentum fidelitatis à Domino temporali in aliquo casu omnino necessario, de quo dicam dubit. 15. in fine.*

DVBITATIO XII.

An Moniali concedi possit egressus è clausura propter morbum Gallicum, S. Lazari, ignem S. Antonij, vel simile alium morbum contagiosum?

S V M M A R I V M.

- 1 *Moniali laboranti morbo contagioso, ut gallico, Sancti Lazari, ignis sancti Antonij, & alicuius similis, dari potest licentia egrediendi è clausura, si moraliter loquendo, non possit intra Monasterium curari sine gravi periculo contagionis aliarum.*

Respondetur ex dictis Dubit. praecedenti ex factis probabili sententia Doctorum affirmatiue, si moraliter loquendo, non possit Monialis intra Monasterium curari sine gravi periculo contagionis aliarum Monialium, quia in his casibus etiam locum habet ratio boni communis, & hi casus sunt similes lepra expressa in Motu Pij V. Sic contra Zerolam, & alios supra citatos, docent Llamas in *Appendice*, §. 10. Layman *cit. num. 1.*

DVBITATIO XIII.

An Moniali concedi possit egressus propter belli, praesertim ab haereticis, vel infidelibus imminenti timorem?

S V M M A R I V M.

- 1 *Moniali satis probabiliter, si moraliter loquendo timetur fore, ut nisi se in locum tutum recipiat, patiatur detrimentum, potest dari licentia egrediendi è clausura.*

Respondetur etiam ex dictis satis probabiliter, affirmatiue, si moraliter loquendo, timetur fore, quod moniales, nisi in locum tutum se recipiant, detrimentum patiantur; quia & in hoc casu locum habet ratio boni communis, & est casus omnino similis. Sic contra Zerolam *verb. Moniales*, ad 16. *quasi. dubit. 2.* & alios supra citatos docent Nauart. *Comment. 4. num. 48. de Regular. Guttierrez capite 4. num. 9. Azorius tom. 1. lib. 13. cap. 8. quest. 1. ad fin. Layman. citat. num. 1. Lezana tom. 2. cap. 25. num. 20. Bonacina de clausura, quest. 1. punct. 9. num. 7. Cened. collectan. 31. ad Sextum Decretal. num. 2. & Barbosa de offic. & potestat. Episcop. 3. parte, allegat. 102. num. 20.*

DVBITATIO XIV.

An Moniali concedi possit egressus, ut sit Abbatisa alterius Monasterij, ubi etiam de aliis casibus.

S V M M A R I V M.

- 1 *Moniali probabiliter, ut sit Abbatisa alterius Monasterij, eiusdem Religionis tamen, & habitus, dari potest licentia egressus.*
- 2 *Religiosum assumi in Praelatum alterius Religionis, vel habitus prohibetur expresse.*
- 3 *Moniali conceditur egressus à Concilio Tridentino, dummodo in Monasterio, in quo facta est Abbatisa, non reperitur Monialis idonea cum dotibus, & qualitatibus ibi requisitis ad munus praedictum exercendum.*
- 4 *Moniali concedi potest egressus, ut sit Magistra Novitiarum in alio Monasterio, eiusdem tamen Ordinis, & habitus, quin ut praesit Porta, vel Rota, vel alteri muneri.*
- 5 *Monialis finito officio potest de consensu utriusque Monasterij ad prius Monasterium redire, etiamsi socia, cum qua egressa fuerit, redire non velit.*
- 6 *Locorum Ordinarij, & Superiores Regulares non possunt transferre Moniales de Monasterio ad Monasterium, nisi obienta facultate ab Apostolica Sede, vel à S. Congregatione.*
- 7 *Translatio Monialium, quando ex iusta causa fieri debet, facienda est in Aurora, & deduci debent à personis grauib, & honestis, & sanguine ei proximioribus.*
- 8 *Moniali concedi potest egressus, si sit necessaria ad fundandum nouum Monasterium.*
- 9 *Item ad reformandum aliud Monasterium eiusdem ordinis, & habitus.*
- 10 *Item si sine strepitu non possit corrigi timore Cognatorum.*
- 11 *Item in poenitentiam criminis, ut de simoniace recepta, & recipiente statuitur, quod in aliud Monasterium includatur.*
- 12 *Contraria sententia, qua nititur in declarationibus Sacrae Congregationis, si ea authenticè constent, non est improbabilis, non tamen reddit oppositam improbabilem.*
- 13 *Monialis quacunque causa transferatur, alii debet à Monasterio, à quo transfertur.*
- 14 *Monialis si transeat ad aliam Religionem de consensu Religionis à qua transit, deferre debet secum dotem, & alia bona, quae ad ipsam spectant, secus si ex propria voluntate.*
- 15 *Monialis si transeat de vno Monasterio ad aliud eiusdem Ordinis, dotem portare non debet.*

Respondetur etiam ex dictis probabiliter affirmatiue, si fiat Abbatisa alterius Monasterij, sed eiusdem Ordinis, & habitus (nam Religiosum assumi in Praelatum alterius Religionis, vel habitus prohibetur expresse in *Clement. 1. de elect.*) quia & in hoc casu etiam agitur de bono Religionis communi, ad quod spectat probam Praelatam habere. Accedit, quod non sit egressus omnino è clausura. Accedit secundò, quod Tridentinum *sess. 25. cap. 11. de Regularibus, cum in cap. 5. clausuram commendauerit, concedit egressum, si in proprio Monasterio non reperitur Monialis ad Abbatisa munus*